DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS, DE PANCREATE,

QUAM

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI BERNARDI ALBINI,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS ANATOMES ET CHIRURGIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, &
Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

CAROLUS VAN ALSEM VAN LINGEN,

BERGENSIS AD ZOMAM.

Ad diem 18. *Aprilis* MDCCLXVI. *Hora decima.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud HENRICUM MOSTERT, 1766.

VIRIS

MUNERIS GRAVITATE,

ATQUE

ERUDITIONIS SPLENDORE CONSPICUIS, SPECTATISSIMIS, CELEBERRIMIS,

D. D. FRIDERICO BERNARDO ALBINO,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ANATOMES ET CHIRURGIÆ PROFESSORI DIGNISSIMO ATQUE SOLERTISSIMO, H. T. RECTORI MAGNIFICO, PROMOTORI SUO EXOPTATISSIMO.

D. D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,

MED. DOCT. MEDICINÆ ANATOM. ET CHIRURG. PROFESSORI, DEXTERRIMO AC SAGACISSIMO VIRO IN ANATOMICIS FACILE PRINCIPI, COLLEGII CHIRURGICI LEIDENSIS PRÆSIDI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ SOCIETATISQUE SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO.

D. D. ADRIANO VAN ROYEN,

MED. DOCT. MEDICINÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORI CELEBERRIMO, COLLEGII PHARMACEUTICI PRÆSIDI, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SOCIO.

D. D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MED. DOCT. EJUSDEMQUE FACULTATIS AC CHEMIÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATISQUE SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUS. ET NASSAV. ARCHIATRO,

IN HAC BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, ACADEMIA, PROFESSORIBUS DIGNISSIMIS, ATQUE PRÆCEPTORIBUS FIDELISSIMIS, DE SE, SUISQUE STUDIIS OPTIME MERITIS, AD EXTREMUM VITÆ HALITUM SUMMOPERE VENERANDIS.

Haſce ſtudiorum Academicorum primitias Sacras vult

AUCTOR.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

PANCREATE.

§. I.

Viſcera chylopoietica ſunt, quæ ad conficiendum ex cibis ingeſtis ſuccum, qui chylus vocari ſolet, pertinent. Commune, quod complectuntur, naturæ munus ita diſpertitum gerunt, ut in *primaria* & *ſecundaria* recte diſpeſci queant. Priora,

quæ chyloſi proxime operantur, Ventriculus & Inteſtina tenuia dicta conſtituunt. Poſteriora, veluti auxiliaria, quæ cavo abdomine continentur, pleraque ſe præbent, vel, ſi mavis omnia. Inter hæc eximiæ, quam præſtat, ſecretionis nomine annumerari omnino meretur *Pancreas*. De quo, ſpecimen quoddam ſtudiorum academicum editurus, ad ſummos in Medicina honores conſequendos, agere animum induxi. Prius autem, quam rem ingrediar, rogo L. B., ut conatibus hisce juvenilibus, qualescunque ſunt, favere velit.

§. II.

Pancreas, ordine conſiderandum, *glandula eſt, ex conglomeratarum genere, bene longa, utrimque plana, modice lata & craſſa, in poſteriori ventriculi regione, lienem inter & hepar, transverſim ſita, nataque egregie ad humorem ſecernendum & inteſtino duodeno infundendum.* Ejusmodi ſe prima quidem ſpecie, in cadaveris humani ſectione, externo adſpectui exhibet. Eoque ex habitu & poſitu ſingulari, ſatis clare cognoſcitur, ut ab aliis partibus, ipſi undique circumjectis, diſcerni poſſit.

§. III.

§. III.

Doctrinæ rationali conſentaneum eſt, quid & quam affabre pancreas ad primæ coctionis uſum formatum ſit (§. II.), diligentius jam diſpicere. Nomen, quod obtinet, græcum, ex πᾶν & κρέας conflatum, *totum carnoſum* innuit. Non differt multum ab eo, quod *Callicreas* eſſe, *formoſamque* ſignificare *carnem*, conſtat. Denominationis utriusque ratio, haud obſcura, ex Veterum theoria facile perſpicitur. Celebris hæc, quæ præſertim galenica eſt, generaliter docet, *quadruplicem* in corpore humano exiſtere *carnem*. Primam hujus ſpeciem muſculorum eſſe propriam veramque, mollem, magis munisve denſam, rubicundam, & ſanguinis, leniter ſiccati, progeniem. Alteram viſcerum, ſimilarem, vel ſimplicem, quam Eraſiſtratus mavult parenchyma vocari, quod ſubſtantia ſit, a ſanguine, e venis effuſo & concreto, usquequaque nata. Tertiam, ei conſimilem, compluribus partibus ſolidis, nominatim œſophago, ventriculo, inteſtinis &c. ingeneratam. Quartam demum mollem, ſpongioſam, friabilem & humidam, ad glandulas pertinere. Eamque ultimam, uniformem ac puram,

totum efficere pancreatis corpus, a quo proprium nomen manet. Idem etiam pulchre adeo nitideque ex albo rubere, ut præ aliis callicreas merito nuncupetur. Quæ explicatio ut nominalis ſit; a re tamen, de qua agitur, haud abhorret. Primam ejus animo offert ideam, quam certo ſenſu accipere, & in decurſu tractationis noſtræ ſequi, licet.

§. IV.

Nemo, in Adenologia vel mediocriter verſatus, ignorat, pancreas ad glandularum conglomeratarum genus (§. II.) eſſe referendum. Quod equidem, ſi attente parum ſpectetur, externa facie ſua manifeſte, arbitror, prodit. Namque primum maſſa quædam eſt, quæ tum colore ſingulari, ex albo in rubrum vergente, tum laxitate ac mollitie, ad glandulas ſalivales proxime accedit. Quibus modo vel ſemel viſis, & ipſa, quem ſenſibus objicit, habitu ſuo plane noſcitur. Neque fere credas, quod multo verborum apparatu adhibito, quam conſpectu, clarius noſci queat. Ei deinde caro apparet glanduloſa (§. III.), ſuperficie plus minus inæquali, qua extuberet quaſi, prædita. Conſtat enim ex moleculis, innumerabilibus, parvis,

ro-

rotundis, vel oblongis, leviter depreſſis, duriuſculis, & in unum agmen congeſtis. Quæ omnes & ſingulæ, exteriores præſertim, tumidulæ, tam laxe invicem cohærent, ut relictis inter ſe intervallis emineant. Simplices illæ ſunt glandulæ, quæ vulgo etiam conglobatæ appellari ſolent. Eæque, glomeratione apta velut adunatæ, diſtinctam veræ conglomeratæ formam pancreati conciliant. Hoc præterea ſuo ex contextu, excretorium quem vocant, ductum producit & cavo immittit definito (§. II.). Denique advertere eſt, quod nec vaſa lactea, nec lymphatica, in ſe contineat, quorum alterutrum vaſorum genus alioqui ad conglobatas accedit.

§. V.

Anatome, corpori humano, cujus partes perfectæ ſunt, unum ineſſe pancreas, demonſtrat. Quod, ſi quidem geminum unquam viſum ſit, perrarum certe, naturæ modo ludentis exemplum præbet. Commune adeo nobileque animantium organon eſt, ut plerisque, quæ aperta fuere, datum inveniatur. Sed mirandum ſane, quam vehementer tam magnitudine, quam figura, in aliis aliisque, a ſe differat. Ne vel in binis,

quæ ceterum ejusdem generis ſint, ſimile plane reperiri ſolet. Neque, quod conſpiciatur, exiguo discrimine animale quodcunque ab humano abeſt. De eo ſuperiori & hoc ſeculo, quo floruit maxime zootomia, multa nobis, lectu non injucunda, tradunt. Quæ vero dedita, quam laudes fortaſſe, opera commemorare, hic non attinet.

§. VI.

Pancreas noſtrum forma ſua tam conſpicuum eſt, ut inter glandulas conglomeratas maxime emineat. Totum ubi undique patet, ut oculis rite luſtrari queat, unum refert (§. V.) continuumque corpus. Cujus hinc principium quod dicas, vel finem, non oſtendit. Videtur autem, habita voluminis uſusque ratione, tanquam a duodeno inciperet, commode poſſe deſcribi. Et primum ei notabili valde parte ſui proxime aſſidet. Quæ, ſuprema ibi, brevi intervallo ab extante procedens pyloro, ſub dextro hepatis lobo verſus lumbos deſcendit. In univerſum cum molle ſit, ad ductum inteſtini eleganter ſe componit, ita ut ejus, deorſum dextrorſumque præſertim flexi, arcum intus æquabiliter teneat. Neque tantum conca-

cavum contingit extremum, ſed canalem ipſum, tum infra, tum ſupra, aliquantum amplectitur. Non liquet ſemper, ea in ſede ad quem altitudinis gradum ſe demittat. Vix dubitandum, quin, ut in variis obſervatur corporibus, ad majorem alias, alias minorem, ſe demittere ſoleat. Quocirca & longior quandoque & brevior eſſe, ut tamen mediam fere inteſtini longitudinem plerumque emetiatur. Atque, prout magis excreſcit, ſimilitudine quadam caput pancreatis rectius conſtitui poſſit.

§. VII.

A memorata ſede ſtabili (§. VI.), præcipua quæ eſt, pancreatis pars proficiſcitur. Equidem vel a ſuperiore, vel medio inferiorique, duodeni tractu, ſecundum poſteriorem ventriculi parietem, ſe ſiniſtrorſum porrigit. Ultra quem continuo deductum, parum abeſt, quin ad ipſum lienis ſinum pertingat. Egregie hinc longa eſſe, ut octo vel plures, digitos æquet transverſos, deprehenditur. Namque e dextri hypochondrii fundo ſupra ſpinam in & per ſiniſtrum excurrit, adeo ut totam ventriculi longitudinem conſequatur. Quin, ubi lienem attingit, ſub

inde

inde etiam ſurſum paullo procreſcit, quo ei accumbat. Porrecta ſic ab una extremitate ad alteram, transverſum quidem obtinet ſitum; at inæqualem tamen. Etenim qua proxime inſidet duodeno, poſterior dexteriorque, tranſcendendo inde corpora vertebrarum eminula, anterior evadit. Poſt levi flexu deorſum in ſiniſtram & poſticam regionem incidit eamque permetitur. Ex quibus paucis, quænam in adulto pancreatis figura ſit, apparet. Hæc aliis ſemilunæ, ferro equino aliis, vel potius linguæ caninæ, aſſimilanda videtur. Ita vero comparata eſt, ut eorum nulli exacte reſpondeat. Notandum modo, quod ex arcuata contractiori, ad ſpeciem duodeni diſpoſita, in longam potiſſimum producta migret.

§. VIII.

Ea eſt pancreatis magnitudo, ut pro glandularum conglomeratarum principe merito habeatur. Non enim ſolum omnes & ſingulas longitudine ſua (§. VI. VII.), ſed etiam mole, ſuperat. Duodeno quo adjacet, capite craſſiori anterius poſteriuſque pulchre oppido ſurgit. Eoque in juniori corpore, nec morbis diu exhauſto, ad transverſi fere pollicis craſ-

ſitiem

tiem pervenit. Qua tum ulterius examinata, pancreas tam in deſcenſu inteſtini (§. VI.), quam tranſitu ad lienem (§ VII.), manifeſte decreſcit. Neque tantum tota longitudine media; verum quoque limbum verſus undiquaque decreſcere obſervatur. Non autem extenuatum ſenſim ad finem gracileſcit; ſed varia in ſede, velut exaſperata, protuberat. Hinc & ſuperficiem, quam habet, minus planam, quam inæqualem, præ ſe fert. Eamque ſi in vivo ac ſano ſpectari poſſet, dubio procul exhiberet eminentiorem. Namque vitali tunc vi, humorum influentium copia & calore, plenius ſemper turget. Animadvertas tamen, quod non adeo alte naturaliter excreſcat, quin planam utcunque faciem (§. II.) induat. Quam inde naſci, quod multo latior ſit, quam craſſior, glandula, apparet. Etenim duo tresve ſunt digiti tranſverſi, quos latitudine adæquat. Eaque tantum non æquali, in quavis ſectione ab extremo dextro ad ſiniſtrum uſque, prædita eſſe, cernitur. Margo ejus tumidulus ſolum, perinde ac ſi undulatus eſſet, ſeſe undique oſtendit. Atque poſtrema pars, quæ lienem ſpectat, in lunatam ſpeciem auguſtiorem exit. Hujusmodi pancreas, probe nutritum & ab adhærentibus repurgatum, plerumque quatuor, vel quinque, uncias pendere, conſtat. B §. IX.

§. IX.

Pancreas, æquabiliter extenſum, inter partes ſibi circumpoſitas, laxe reſidet. Totum fere quam proxime in molli hæret complexu meſocoli, eoque una cum vicino duodeno continetur. Involucrum illud, communi meſenterio ſuperius continuatum flexumque antrorſum, retro ventriculum late ſe pandit. Ibidem uti adſcendit amplius, ita per utrumque etiam hypochondrium excurrit. Supremum dum prope a campi ſui fine abeſt, ad pancreas pertinet. Quod ubi contingit, duplicaturæ ſuæ veluti aperit ſinum, ad medium hoc opportune recipiendum. Idque tam longa lataque recipit expanſione, ut ipſum ab omni fere parte ſpectabili circumfundat. Non enim, niſi eo in intervallo, quo vertebrarum corpora emergunt, nudum relinquit. Meſocolon autem glandulam illam cum amplexatur, a membranacea indole craſſiori denſiorique, peritonæo aſſimili, aliquo modo degenerat. Nimirum non laxior ſolum, ſed tenuior quoque redditur, adeo ut bene perlucens glandulæ contentæ ad ſpectum concedat. Propterea & primo videri intuitu poſſit, ei potius ſubjicere ſe, quam circumnaſci. Sed, in-

intenta recte acie, cernere licet, quod univerſam carnem proxime ambiat. Productum inde ſiniſtrorſum prope lienem, utraque, ex qua conſtat, lamina, celluloſa ſtrictiori conjuncta, arctius concreſcit. Inferiusque idem ſub ventriculo deſcendit altius, quo latitudine ſua ad colon tranſverſum accedat. A quo protractum ultimo, & longe demiſſum, in poſteriorem veri omenti lamellam tranſit. Quæ meſocoli continuatio notanda, ſi quis, quo ſenſu pancreas lamellæ illi inſertum dici queat, animo repreſentare velit.

§. X.

Appoſitus ad firmandam rite ſedem, pancreati nexus cum plurimis, quæ circumjacent, partibus intercedit. Is primum, quod exteriorem attinet ſimplicioremque, a continuata ibi expanſione meſocoli transverſi (§. IX.) producitur. Ea ubi pancreas contegit & duodenum (§. VIII.), utrumque communi velut faſcia molli, aquabiliter adſtricta, continet. E ſuperficie interna innumerabiles fundit fibras, quæ membranæ celluloſæ inteſtini & carni glanduloſæ innaſcuntur. Similes fere ex anteriori pergit fundere externa, qua-

rum ope glandulam noſtram, qua ſubjacet, ventriculo laxius adnectit. A quo, infra cardiam quoque poſterius deducta, ad eam pertinet membrana, peritonæi propago, quæ conjunctionem reddat firmiorem. Accedit a ſiniſtro, ſub ſtomachi exitu, extuberantis ventriculi pariete late porrecta, omenti portio, quæ brevi ſe fiſſuræ lienis mediæ affigit. Eaque huic laxiori jungit nexu extremum pancreas, quod ſubtus adtextum habet. Ibidem & hoc inferius membranæ adipoſæ renis proximi quam opportuniſſime accreſcit. A poſteriori ſub duodeno, vel prope, incumbit arteriæ venæque meſentericæ ſuperiori, ac in tranſitu ſpinæ medium aortæ abdominali. Inde in latere ſiniſtro ante diaphragmatis, e lumbis provecti, carnem procedit, membrana copioſiori celluloſa revinctum.

§. XI.

Externa facies & ſedes pancreatis quam pulchre compoſita adornataque ſit, ex iis, quæ hactenus tradita ſunt (§. IV—X.), clare, arbitror, elucet. Proximum nunc eſt, internam ejus ſtructuram, quæ perſubtilem organicam complectitur, vel glanduloſam ſingularem, ordine proſequi. Momentoſa hæc con-

conſideratio & ardua in perſcrutandis potiſſimum vaſis, eam conſtituentibus, verſatur. Præcipua, quæ cultior detegit anatome, arteriæ ſunt & venæ. Quarum illæ, & parvæ, & numeroſæ, ad pancreas undiquaque adrepunt. Pleræque a duplici velut ſtirpe, cœliaca ſcilicet & meſenterica ſuperiori, naſcuntur. Prior, ex aorta paulo poſt abdominis ingreſſum oriunda, brevi principio in duos plerumque finditur ramos, dextrum alterum, & alterum ſiniſtrum. Iſte, minor ſodali, mox dextrorſum ſurſumque paullo truncum verſus venæ portarum tendit, ubi retro pylorum diviſa hepaticam ſic dictam & gaſtroepiploicam dextram edit. Hæc primo ab ortu ramum exigit memorabilem, qui ſecundum duodeni deſcendentis longitudinem ad jejunum usque decurrit. Vocari ſolet arteria duodena, quæ in tranſitu caput pancreatis (§. VI.), tum ab anteriori, tum poſteriori, ſurculis compluribus impertit. Non pauciores emittit ramus alter cœliacæ ſiniſter, qui lienalis dicitur. Ab initio deſcendens parum adjungit ſtatim ſe pancreati, totique tranſverſo (§. VIII.) poſterius ſuperiusque tam alte inhæret, ut ſui veſtigium imprimat. Eo in itinere, longo & flexuoſo, ad lienem crebros effert ramulos, qui glandulæ noſtræ partem, dextram, ſiniſtram, priorem

poſterioremque, inviſunt. Quibus pauculi accedunt, ſubtus ab arteria gaſtroepiploica ſiniſtra proficiſcentes, aliique, quos ſurſum ſpargit meſenterica ſuperior. Præter hos frequentiſſimos illorum truncos plures minores vicini, qui aliquos ſpargant, ſubinde obſervari ſolent. Qui vero, inter ſe quaſi ludentes, tanti non ſunt momenti, ut multo hic diſquiri ſtudio, neceſſe ſit.

§. XII.

Venæ, quibus inſtructum pancreas eſt, in univerſum ſpectatæ, arteriarum (§. XI.) curſum tenent. Majores, veluti principes, rami, anatomicorum more, ad conſpicuos maxime truncos referri poſſunt. Hi adeo multi ac diverſi ſunt, ut ordinate ſatis enumerari vix queant. Primi autem & præcipui vena meſenterica ſuperior & lienalis jure habentur. Illa, venæ portarum radix dextra, paullo ſupra incipientem duodeni arcum (§. VI.) parvam prodit duodenam, quæ in ejus deſcenſu non præterit pancreas, quin ramorum abunde tranſmittat. Qui, brevi diſcurrentes, proximam illius ſedem petunt, & antrorſum, retrorſum deorſumque, proficiſcuntur. Commiſcent ſe crebro iis, quos vena gaſtroepiploica dextra diſtribuit, quæ

ipſam

ipſam ſæpe duodenam producit. Minores quoque inde a pyloro deſcendunt, meſentericæ ejusdem diſtinctæ quandoque propagines. Radix ſiniſtra venæ portarum, lienalis, dextra priori minor, brevi via a duodeno pancreas ſubit. Quod primum ut attingat, adſcendit modice, pergitque tum rectius ſub arteria cognomine, donec ad lienem perveniat. Eo in progreſſu, opportuno valde loco, ſuperficiem glandulæ tam anteriorem, quam poſteriorem, ramis ornat quamplurimis. Priusquam ſe in viſcus ſuum inmergat, ventriculum verſus gaſtroepiploicam ſiniſtram reflectere ſolet. Quæ dum ad fundum ejus defertur, plerumque etiam notabiles aliquot pancreati exhibet ramos. Præter quos, ramoſa eadem, ſub & poſt ingreſſum meſocoli, complures, qui ad duodenum usque ſerpant, largitur. Meſocolica demum, proxime lienali, quosdam interdum porrigit, vicinis ita continuatos, ut rete quoddam venoſum quaſi efficiant.

§. XIII.

Perexiles & pauci ſunt, qui ad perficiendam ſtructuram glanduloſam pancreas adeunt, Nervi. Originem

nem ducunt a pari octavo & intercoſtali, quæ ramis ſuis abdominalibus visceribus proſpiciunt omnibus. Singulares ſub hepate retro ventriculum & circa lienem formant plexus, a quibus incerto numero rami naſcuntur. Inter quos nonnulli proveniunt qui ad pancreas commeant. Pauculi iis inferius accedunt a majori ſic dicto plexu meſenterico, qui ſurculos ſuos longe lateque diffundit. Pancreatici, cum præ ceteris admodum tenues & exigui ſint, non facile in conſpectum produci poſſunt. Inter & juxta memorata (§.XI. XII.) verſantur vaſa, adeo ut majoribus quidem comites ſe præbeant. Simul autem ut attingunt pancreas, emiſſis pluribus paucioribusve ramulis, tam ſubtiles fiunt, ut altiori decurſu ſuo viſui ſe ſubducant.

§. XIV.

Vaſa utriusque generis, arterioſi & venoſi (§.XI.XII.), multiplici ab origine deducta, ad omnem ambitum pancreatis pertingunt. Cui mox denſo circumjiciunt ſe agmine, eoque totum veluti caronant. Exteriora primum, quotquot ſunt, inter membranam penetrant meſocoli (§. IX. X.), ubi tuto molliterque conſident.

ſident. Pertenui ibi, qua circumreptent libere, celluloſæ inhærent. Quæ, ſubtilis inſtar lanæ, ex univerſa glandulæ ſuperficie procreſcens, vaſcula adducta recipit commode & ſibi innectit. Eadem tela, longius porrecta altiusque, per interiorem etiam carnem glanduloſam mirabili modo ſe diffundit. Naſcitur proprie e quavis ejus particula, ſeu glandula ſimplici (§. IV.), & ſparſis undique fibris laxe concreſcit. Tenera valde, humida, mollis parumque lenta, eſt, ut exigua vi facile ſe ſinat diſtendi. Ortu textuque docet ſuo, ad quem a natura uſum preſertim ſit genita. Nimirum diſtinctam, paucis, glandulæ noſtræ formam, qua conglomeratam refert, inducit. Etenim, conglobatis ejus ſubtili interſerta artificio, omnes & ſingulas, alioqui fere ſolutas, in unam colligat maſſam, continetque. Et cum haud arcte attexta ſit, non niſi laxiorem parit glomerationis nexum. Quo ſolo ſpectabilem ſubſtantiæ laxitatem addit, quam pancreas præ ſe gerit. Cujus ceterum acini glanduloſi ſatis compacti ſunt, ut cum duritie quadam ſe ſuſtineant.

§. XV.

Exteriora pancreatis vaſa (§. XIV.), editis circumcirca ramis, in carnem ejus alte immigrant. Eo brevi procedunt ſubtilitatis, ut oculorum ſuffugiant aciem, & evaneſcere videantur. Veteres, ſenſibus edocti, tradunt, perpauca modo accedere glandulas & ingredi. In quo opinionis errore etiamnum verſandum foret, niſi præclara, quæ dicitur, injiciendi ars inventa feliciter, & ſtudioſe culta, fuiſſet. Hæc, pulſa materie ceracea rubra in arteriarum truncos (§. XI.); quam amœnumne pariter ac inexpectatum præbet ſpectaculum? Pancreas ſcilicet, invivis ſanisque, levi modo rubore tinctum, ſanguineo inde colore extus refulget. Idem, molle ac laxum (§. IV.), duritiem quandam & firmitudinem, qua plus minusve renitatur, induit. Quin totum etiam ex planiori, qua gaudet, forma (§. VIII.), in rotundiorem tranſit elatioremque. Verbo, perfuſis conglobatis diſtentisque, tumet adeo & turget, ut, ultra naturalem magnitudinem multum excreviſſe, diceres. Similem fere offert ſui adſpectum, ſi per venas corporis majores (§. XII.) probe repletum fuerit. Intento

to acrius viſu, apparet, innumeralibus eſſe vaſculis circumfuſum (§. XIV.). Eorumque, ab omni parte affluentium, vim, admirabili facto reptatu, per cellulоſam in carnem interiorem permeare. Qua inciſa, quoquoverſum commigrare, ita ut ramoſiſſima ſe dispergant. Carnemque diviſam, in quovis ſectionis puncto, uno colore rubello, tanquam inflammata eſſet, nitere. Non facile dubites, eam colorem talem, a naturali plurimum abhorrentem, ab adacta tantum trahere materia. Quamque, juſta vi impulſam, quoque nonniſi vaſis receptam contineri, annotare oportet. Equidem contentam conſpicari licet, ſi, ſerena luce, admoto microſcopio, examini ſubjiciatur. Atque tum cernere planiſſime, cum maceratione in aqua rite ſoluta fuerit. Vaſcula plena & aucta, ejusmodi encheyreſi deſtructo utcunque nexu, ſola exhiberi ſolent, ita ut accurate poſſint conſpici.

§. XVI.

Caro pancreatis ex fabrica conſtat ſingulari, quæ vaſculoſa recte appellatur (§. XV.). Ad quam demonſtrandam artificialis pertinet repletio, atque, ni fallor, ſufficit. Quo enim peragitur felicius; eo

ſemper uberiorem vaſculorum diffuſionem reperit. Eamque, in quavis illius glandulæ, perinde ac alterius, particula involutam, explicat. Intactum modo, ſibi inacceſſum, relinquit, quod ineſt, nerveum (§. XIII. & parenchyma fibroſum (§. XIV.). Præter arterias autem & venas, ductum etiam excretorium (§. IV.), in decurſu a principio fere ad finem usque, optime oſtendit. Ductus ille in corpore hominis adulti pennam anſerinam facile admittit, oſtioque, ut plurimum communi cum choledocho, in duodeni cavum ſpectat. Ex quo, ſi methodo Graafiana recte impletur, cerni poteſt liquido, mediam pene pancreatis longitudinem (§. VII.) percurrere. Quo propius accedit ad inteſtinum, eo eſſe capacior, & ſiniſtrum verſus extremum migrando paulatim anguſtari. Eo in itinere parum flexuoſo, multos utrimque rectioribus angulis emittere ramos, exiguo a ſe diſſitos intervallo. Qui, non longe a trunco profecti, dividunt ſe & ſinguli quidem in binos, quique, pari modo diducti, pancreatis ſubſtantiam ingrediuntur. Cui immerſi, diviſione ſenſim crebriori, diſſeminant ſe magis magisque, & ad magnam perveniunt ſubtilitatem. Poſtremo numeroſi adeo evadunt ac exiles, ut, penitiſſime licet impleti, nec viſu, nec aliis artis anatomici adminiculis, perveſtigari amplius nequeant.

§. XVII.

§. XVII.

Triplicia pancreatis vaſa (§. XI. XII. XVI.), generatim deſcripta, peculiare quoddam ſyſtema quam artificioſiſſimum conſtituunt. Ad quod efficiendum certa lege diſtributa, interque ſe omnia perfecte continuata, ſunt. Sed ut ordine procedat doctrina, ab arteriis ordiendum eſt. Quæ enim, tanquam proximæ vaſculoſi contextus origines eſſent, conſiderari poſſunt. Eæque, quo ritu ſi propagent ac componant, in una glandulæ noſtræ conglomeratæ particula, ſeu conglobata, ſeorſim primo diſpici. Hæc equidem fabrica ſua, minima licet mole concluſa, magnum pancreas æmulatur. Nam ſimiliter atque hoc, carnem propriam, ex triplici conflatam vaſorum genere, habet. Cognatione tamen proxime attingit ſimplicem oris ſalivalem, ejusque ſimilitudinem gerit. Apud animum ergo ejusmodi conglobata proponatur. Ad quam, impletionis negotio feliciter confecto, advenientes arteriæ oculis plane percipi queunt. Binæ plerumque ſunt, vel tres, quæ a vicinis majoribus proficiſcuntur. Simulatque irrepunt, velut trunculi primi ordinis, ramos bene multos edunt, proque mag-

nitudine ſua minores. Qui circum obeuntes flectunt ſe glomerantque quaſi, ad rotundam, vel ovalem, conglobatæ figuram conſequendam. Prout dein longius ibi penetrant, ramulos diffundunt exiliores, quique ſenſim innumerabiles, & arctius arctiusque convoluti, in maſſulam aciniformem coeunt. Comites ubique adſunt venæ, numeroſiores eminentioresque. Subtilitate aliæ ſuperant alias, ramosque crebro committunt & commiſcent. Exteriores quæque magis conſpicuæ, quam interiores, medium conglobatæ verſus gradatim minutiores evadunt. Decurſus munerisque ratio ad credendum inducat, quod pleræque omnes ab arteriis propagentur. Minimæ ſcilicet a minimis proveniant reflexis, & omnes, numero infinitæ, confluendo paulatim inter ſe, compoſita admodum ſerie, circa exitum glandulæ increſcant.

§. XVIII.

Ductus pancreatis excretorius (§. XVI.) origine ac conformatione ſua generali venas (§. XVII.) proxime ſequitur. Ubi penitiſſime impletus eſt, ut diſtincte appareat, ex unaquaque glandula conglobata uno alterove ramo emergit. Qui, valde exiguus,

non

non ſolum venis egredientibus, ſed ipſis etiam ingredientibus arteriis, minor longe & contractior eſſe, deprehenditur. Non liquet ſatis, quam curioſe etiam inquiratur, quemadmodum parvulus per glandulam ſe diſtribuat. Neque magis, qua ratione ei, & ubi, innaſcatur. Adeo anguſtus tenerque canaliculus eſt, ut, optime licet temperatam, injectionis anatomicæ vim eludat. Verum enim convenitne exiſtimari, quod pari artificio, ac ductus hepatici principia, paretur? A quibus equidem, ſive decurſum ſpectes, ſive uſum, perparum abeſt. Quidni ergo æque ut illa, ab ultimis, & quibus tantum diſcrepet, vaſculis arterioſis proficiſcatur? Quin innumeris etiam eis, communi lege continuatis, exiſtat ramulis, & quibus paulatim conjunctis, in unum migret? Exortus ſic cerni poteſt (§. XVI.), e quaque elabi conglobata proximisque jungere ſe, ita ut continuo novus creſcat. Major ejusmodi, conſociatis pluribus, creſcere magis, & demum ex collectis omnibus ductum conficere communem. Hic igitur, canalis ramoſis ſpecies, quo fit proceditque ritu, venam, ab organo quovis remeantem, imitatur. Figura quoque ei reſpondet, quam a ſucceſſivo diametri ſui incremento conoideam inverſam nanciſcitur. Solusque, dum abs-

que

que vaſis, quibus intercedit, veluti abſtracte animo ſingitur, imaginem quandam pancreatis exhibet.

§. XIX.

Eximium vas pancreatis excretorium (§. XVIII.) memorata, qua fertur, via duodenum appetit (§. XVI.). A quo cum prope abeſt, ſerpentino progreſſu, utcunque transverſo, paululum deſcendit, ad extremum ductum choledochum ſuſcipiendum. Cui, oblique deorſum flexo, ad angulum fere rectum ſe ita adjungit, ut cum eo in unum canalem coeat. Solet ut plurimum quam proxime inteſtino coire, ſimplicique huic canalis ſpecie deſigi. Intrat illud ſub membrana externa per celluloſam repens (§. X.), ex qua muſculoſæ ſe inſinuat & inde permeando nerveam ad exitum devenit. Quem dum conſequitur, ductus pancreaticus non perforat internam, ſed reflexam in ſe continuo recipit, ad cavum efficiendum aptiſſimam. Tranſit longitudine pollicis transverſi intra membranas illas, antequam in duodenum erumpant. Patetque oblongo, & quatuor, vel quinque, digitos transverſos diſtanti a pylori altitudine, oſtio, limbo eminentiori cincto, quem extuberando intus producit. Ductus

tus hoc modo, notatu valde digno, iter ſuum, ſi non ſemper, at plerumque tamen, exſequitur. Raro contigerit obſervare, quod diſtincto ore ab eo choledochi intus hiet. Multoque rarius gemini adſint, qui ſibi paralleli, brevique intervallo adjecti, paullo ante egreſſum coaleſcant. Princeps vero & grandior, longitudinem tenens pancreatis (§. VII.), nonnunquam ſe committit minori, qui ex capite ejus, ad arcum inteſtini deorſum porrecto (§. VI.), adſcendit. Quod ad originem attinet; nihil differt ab altero, cui prope ingreſſum duodeni continuari ſolet.

§. XX.

Expoſita breviter pancreatis ſtructura ex vaſis, ſtupenda ſubtilitate agglomeratis, conſtare, cognoscitur. Quibus conſideratis, nemo amplius dubitet, quin glaudula illa nobiliorem longe, quam olim creditum, corpori animali præſtet uſum. Quem equidem, arbitror, cuique præſertim ductus ſui ortu, curſu & exitu (§. XVIII. XIX.), ſole meridiano clarius oſtendat. Apertus ille, & bene capax, (§. XVI.), canalis officio, quod in vehendo humore conſiſtit, omnino fungitur. Eumque, ex pancreate affluentem,

D in

in duodenum, ad quod poſtremo pertinet, deducat, neceſſe eſt. Nihil enim ejus, ſecundum naturam, inde unquan haurire poſſe, ex deſcenſu obliquo inter membranas exituque (§. XIX). recte ſtatuitur. Verum perdifficilis manet quæſtio, undenam & quomodo humor iſte, quem pancreaticum vocant, generetur. De eo tot tamque variæ concurrunt Auctorum ſententiæ, ut vix plures mente concipi poſſe videantur. Nihil juvat, eas, ab œconomia animali magis minuſve alienas, in memoriam revocare. Neque inſtituti fert ratio, hic data repetere opera, quæ recentior Phyſiologorum ſchola de ſecretione humorum tam ſubtiliter, quam ingenioſe, explicat. Eſt ſane hæc naturæ actio, quæ in ſubtilibus adeo perficitur organis, ut ſub ſenſus non cadat. Eoque minus cadere poſſit, quod tantum in vivis & ſanis, quæ inſpicere non datur, rite viget. Quocirca nec ſatis plane aperiri, ut intellectui noſtro clare pateat. Proinde ſublimiora modo ſint ingenia, quæ, in occultis verſata rimandis, capiat, teneatque. Ex notioribus modo, quæ colligenda ſunt, conſtat, arterias primum (§. XI.) pancreati ſanguinem afferre, vivido agere per ramos ſuos motu, & diſtribuere. Tum propellendo eum ex majoribus ſenſim in minores, magis magiſque convo-

lu-

lutas (§. XIV. XVII.), diſſolvere, attenuare multum, & ſecretionis uſui præparare. Craſſiorem interea continuatis ſibi reddere venis (§. XVII.), quæ receptum truncis tradant, communi circulationis campo inferendum. Tenuiorem autem partem ad minutiſſimos uſque provehere ramulos. Atque hos demum, pro ſubtilitate ac virtute, qua polleant inexplicabili, elicere inde & ſecernere fluidum elaboratiſſimum, lymphæ ſpeciem, vel ſuccum pancreaticum.

§. XXI.

Pancreas ſecretum ex ſanguine, quo affluit, arterioſo, ſuccum (§. XX.), ad duodenum deferendum (§. XIX.), elargitur. Cui muneri vitali ejus præeſt ductus, qui inde excretorius recte nuncupatur. Ad illud legitime præſtandum, quam egregie natus & diſpoſitus ſit, haud obſcure apparet (XVIII. XIX.). Etenim a circumfuſa ſibi procedit proxime glandula, cujus arteriolis ſecretoriis, perinde ac ſi vena quædam ſui generis eſſet, continuetur. Nullum relinquit dubitationi locum, quin reapſe ab eis, tanquam principiis, ad inſtar vaſculorum, ſeſe propagantium per viſcera majora, proveniat. Neque videtur, examinata rite fabrica glanduloſa, ab intertextis, vel

mediis, provenire folliculis, quos Malpighianorum nomine celebrant. E quibus concurrentibus ductulis ſi conflaretur, non adeo continuis acciperet rivulis ſuccum, nec jugi motu evolveret. Namque ſecretum & infuſum ſibi folliculi, ſi adeſſent, per tantillum licet temporis, non poſſent non remorari. Eumque duntaxat, poſt æqualem demum ſui repletionem, ob inertiam ſuam, tardius emittere. Quin imo cum pro craſſitie pancreatis deberent eſſe agminatim congeſti, nonniſi adhibita preſſione notabili per anguſtiora oſtiola emoliri. Quæ motus impedimenta ductui excretorio, ſi arteriolis laudato modo continuatus admittatur, minime intercedunt. Is enim humorem, quem actuoſæ ſemper ſecernant illæ propellantque, vi continenti capit liberrime. Neque imminuta ullibi, ſed aucta, eundem ad rivulorum, mole creſſentium, rationem provehit inque duodenum derivat. Quo mandato ſibi officio hoc fungitur pulchrius; quod unus plerumque & egregie capax fluidum ex toto pancreate ſuis colligat ramis oſtioque patentiori inteſtino infundat omne. Ejuſmodi profecto uti uſui ſuo, ſic conditioni etiam loci, quem petit, mirifice reſpondet. In confeſſo eſt, intereſſe maxime ad coctionem chyli, ut ſuccus pancreaticus in duodenum influat.

fluat. Num vero ſat commode & ubertim influere potuiſſet, ſi ductu tali quali vehitur, ibi non adferretur? Corpus pancreatis craſſum longius ſe latiuſque extendit (VI. VII.), quam ut commode queiret duodenum extus circumplecti & ad evacuandam lympham ſuam, innumeris conglobatarum tubulis (§. XVIII.), per ambitum diſpertitis, pertundere. Quorum omnium partes jam unus perbelle agit, ut præter eos, qualeſcunque ſint, longe excellat.

§. XXII.

Succi pancreatici ſecretio ac deductio ad duodeni cavum (§. XXI.), vigente motu naturali, expedite peragitur. Equidem glanduloſum organon tunc omnes, ſibi inſitas, vires ad juſtum actuoſitatis gradum intendit. Non perquirendum hic eſt, ex quo eas, quæ primæ motrices ſunt, fonte, vel principio, trahat. Neque, quam mirabili conſenſu & moderamine, cunctas ad neceſſarios motus obeundos conferat dirigatque. Alienum omnino foret, altioris indaginis rem, energiam puta vitalem, egregie diffuſam temperatamque, perſequi. Attinet modo, ſtrictius notare, quod tota pancreatis ſani functio potiſſimum

a ſanguine arterioſo, æquabiliter influente, dependeat. Ad quem advolvendum propellendumque cor & arteriæ incitata actione ſua plurimum pollent. Prior, musculi facile principis vividiſſima, tam longe lateque patet, ut in univerſo corporis noſtri ſyſtemate vaſculoſo dominetur. Eo enim, quo contrahit ſe, impetu ſanguinem tam fortiter protrudit, ut circulationi ejus univerſali præeſſe videatur. Poſterior accedit arteriarum nempe actio, cordis quaſi æmula & auxiliatrix. Quæ enim ſanguinis, ex eo fervide ejecti, curſum continuo contentoque pulſu quaquaverſum expedit. Pergitque, quæ arteriarum pancreaticarum eſt, per ramoſum ſuum expedire contextum (§. XVII.). Neque ſolum ſanguinem, ſed humorem inde ſecretum ad duodenum usque (§. XIX.), promovere. Atque jugi hoc propulſu fit, ut arteriolæ ſecretoriæ (§. XXI.) in opere ſuo perpetuo verſentur. A quo enim, laudatis potentiis dum ſanguis advolvitur, ceu naturalis actionis ſtimulus, conquieſcere non poſſunt.

§. XXIII.

Cognitæ jam cauſæ moventes tantummodo generales ſunt (§. XXII.), quæ ad excitandam ſuſtinendam-

damque pancreatis functionem admirabiliter conſpirant. Notandæ complures occurrunt aliæ, ei, ut glandulæ abdominali & partibus variis, motum magis minusve valentem edentibus, interjectæ incidentes. Hæ, quæ peculiares vocentur, laudabili, quam præſtant, vi multum inter ſe differunt. Inter eas numerandæ primum ſunt, quæ ad ampliſſimum reſpirationis organon pertinent. Cujus muſculoſi pars fere princeps, diaphragma, ſimulatque inſpirat homo, contractis undique fibris, lumbos verſus deſcendit. Subdita ſibi & alligata proxime hepar habet & lienem, plus minusve laxam nacta ſedem. Proinde quando e cavo pectoris ſe demittit, ea oppido, quo cedant, deorſum urget antrorſumque. Sed ne vel tantillum urgere poteſt, quin pariter pendulum detrudat ventriculum. Cui cum mobile adhæreat pancreas (§. X.), neceſſe eſt, hoc ipſum ſimul obſequatur. Quid? quod & proxime ſubtus carnis, cui accumbit, diaphragmatis, alterne intumeſcentis, impreſſionem majorem minoremve ſuſtineat. In exſpirante porro, muſculis abdominis eadem viſcera ſurſum repellentibus, una neceſſario agitatur. Et hac ratione, quo ad libere meat remeatque ſpiritus, non levem ſibi motum inferri patitur. Verum momento-

ſio-

ſiorem dein ab attexto ſibi pati debet ventriculo. Qui utique, quam diu chyloſi operatur, alterna ſyſtoles & diaſtoles ſpecie motum periſtalticum exercet. Ubi tum ſemicocta, vel contenta quævis, per pylorum expellit, ex ſitu fere horizontali oblique ſurſum hepar verſus ſe vertit. Utraque agitatione memorabili tam percutit, quam trahit ſecum leviterque attollit, pancreas. Quod paulo poſt, remittente ſe ſacco illo & deſcendente, priſtinam poſitionem repetendo deſidet. Cujus mutationem hinc, tempore præſertim digeſtionis, iteratis quolibet momento vicibus, quam opportuniſſime ſubire ſolet. Præter hæc deinde ad agendum alacrius incitari, tum motu duodeni periſtaltico, tum ſyſtolico vero arteriarum vicinarum (§. X.), aortæ ſcilicet, meſentericæ & lienalis. Frequenter tandem leniores, vel acriores, inſunt ſtimuli, qui effectu ſuo iis, in ore ſalivam moventibus, reſpondeant.

§. XXIV.

Vires naturæ motrices, indicatæ (§. XXII. XXIII.), ad ſecernendum ſuccum pancreaticum & duodeno infundendum attinent. Is ergo humor uti aſſidue generatur, ita & continenter ibi loci adducitur. Equidem

dem fieri non poteſt, ut in ſtatu ſano unquam affluere deſinat. Neque ſolum jugi flumine, ſed etiam bene largo citoque affluit. Cauſæ enim, ad propellendum natæ, a fonte ejus ad oſtium usque ductus (§. XIX.) pertinent. Qui ipſe, quam longe lateque excurrit (§. XVIII.), facultate quadam contractrice præditus eſſe videtur. Namque certe canalis eſt, qui figura quidem refert venam, at craſſitie membranacea & firmitate ſuperat. Ea quoque cum vim alat vitalem, nulla ſubeſt ratio, cur, diaſtole quadam ac ſyſtole fungi, negetur. Quocirca non tranſitum modo præbet humori, verum etiam arterioſo ſimili quodam nixu motum addat. Præterea, non exiguam ejus, quem provehat, copiam eſſe, capacitate ſua (§. XVI.), cum mole pancreatis (§. VIII.) collata, docet. Etenim hoc glanduloſum quaſi viſcus glandularum ſalivalium conglomeratarum pondus omnino excedit. Iſtæ vero, intra viginti quatuor horas, duodecim fere uncias ſalivæ ſecretæ ori facile propinent. Vixque dubitandum eſt, quin æquali tempore ſucci noſtri parati pondo ad duas & ultra libras adſcendat. Ille profecto, præterquam quod a grandiori manet organo, quam ſaliva, pluribus etiam valentioribus potentiis producitur. Non tamen exiſtimes, ita conſtitutum eſſe,

E ut,

ut æqua ſemper produci quantitate ſoleat. Uberiori alias, alias parciori, electus profluit. Eaque officinæ chyli, magis minusve actuoſæ, convenienti procul dubio erumpit. Adeo ut quovis tempore variæ neceſſitati naturæ, quæ ſibi proſpicit optime, ſemper inſerviat.

§. XXV.

Fabrica pancreatis & functio quam eximia ſit & nobilis, ex ſingulari ſucci ejus uſu clare demum cognoſcitur. Is, animalis quidam latex, tam multis quam egregiis, ſcatet dotibus. Eſt enim tenuis valde, aqueus, limpidus, & adeo blandus, ut, ſive guſtu, ſive odoratu, exploretur, vix ullam acrimoniæ notam exhibeat. Qua indole genuina, a caſtioribus detecta ſagaciter phyſiologis, quam proxime ad ſalivam accedit. Fluidior modo hac ſolutiorque eſſe deprehenditur, propterea quod mutabili aëris intemperiei minus ſit expoſitus, nec tam cito, ac illa in ore, ſubtilioribus particulis diffiatis, viſciditatem contrahat. Liquet etiam, ut ut oculorum judicio non pateat, quod, dum recens e fonte ſuo in duodenum emanet, tenuior ſit defecatiorque, ac quidem in experimen-

mentis Graafianis apparet. Simulatque enim ex inciſo ductu in appenſam depluit lagenam, avolante calore naturali, frigeſcit oppido, turbatur, ſpiſſeſcit & impurus evadit. Naturalis parum abeſt, quin limpitudinem lymphæ cœleſtis ac præclaræ, quam aquam vocant, aſſequatur. Equidem ſincerus perlucet ſatis, ut non niſi levem quandam præ ſe ferre albedinem dici poſſit. Præter hoc tam blandus eſt liquor ac mitis, ut jure pro inſipido habeatur. Sane æque parum fere, niſi leviſſima velis ſalſedine, linguam afficit, quam in proprio ore ſaliva. Neque, ſi ad examen revocetur chemicum, ullum inquilini, vel tecti, acidi effectum prodit. Et, ſi quem fortaſſe prodiderit unquam, id a labe morboſa, vel peregrina, traxiſſe videtur. Ex quibus tandem inter ſe collatis affirmare licet, quæ analyſis chemica oſtendit, ſuccum pancreaticum ex aqua puriſſima, a communi nihil diverſa, maximam partem conſtare. Eaque perparum ſalis, nec acidi, nec alcalini, ſed mitiſſimi & vere humani, diſſolutum gerere. Præterea olei quid continere blandiſſimi attenuatiſſimique, ſale & aqua diviſi, ac in dilutiſſimi ſaponis redacti ſpeciem. Accedere his admiſtæ terræ, ſubtilis valde & æquabiliter diffuſæ, tantillum. Quæ principia, quantumvis

 diſcre-

diſcrepantia, tam perfecte nupta eſſe, ut externo adſpectu homogeneum ferme laticem componant.

§. XXVI.

Succus pancreaticus ita omnino genitus eſt (§.XXV.), ut omnes uſus ſui partes in prima coctionis officina mire impleat. Tantum enim virtute pollet ſua, quantúm humorem tam levem, & ad ſenſum inertem, pollere, vix crederes. Et effiacem primum ſe præſtat laudabili admodum, qua abundat, vi aquæ. Ea enim penetrat oppido, humectat, emollitque ſicca, tam dura, quam lenta, ita ut facilius conteri poſſit. Speciatim ſalia iis commiſta ſolvit actutum, optimique inſtar vehiculi, in complexum ſuum recipit. Quidni aquea etiam tenuitate ac levitate inſinuet ſe concretis, gummoſis terreſtribusque, &, ſuperato particularum nexu, mollem fluidamque conciliet formam. Quas ſolutiones eo perficiat expeditius, quod ex infuſis ſibi vitæ igniculis æquabilius calet. Sed præclariores multo nomine ſaponis naturalis edit effectus. Ejusmodi profecto in reſolvendis tenacioribus, quæ ab aquæ miſcela abhorrent, oleoſis nempe & pinguibus quam maxime valet. Cum denique ex princi-

piis,

piis, mirifice attemperatis, compoſitus ſit, blandiſſimi obit menſtrui vices. Quocirca, qualiacunque ſunt, acria lenitate ſua involvit, mitigat valde, atque temperat.

§. XXVII.

Spectata indole (§. XXV.) ac vi (§. XXVI.) prædita, pancreatis noſtri lympha ad perfectam chyli concoctionem maximopere juvat. Hæc compoſita admodum naturæ actio eſt, quæ jam in ore interno, aperto velut ſtomachi atriolo, incipit. Eſculenta craſſiora ſolidiorave, quæ ciborum nomine aſſumit homo, primum dentibus concidenda comminuendaque offeruntur. Eodem tempore, affluente uberius ſaliva, eo ſolent uſque emolliri ac ſubigi, ut in pultis molliculæ ſpeciem abeant. Quæ tum, partitis portiunculis, deglutitione momentanea per pharyngem & œſophagum ad ventriculum depellitur. In quem ſimul ut recepta eſt, efficacioribus ac ante officinæ ejus viribus commiſſa, coctionem ſubit pleniorem. Nimirum digeſta magis magiſque ex crudiori materies redditur ſpiſſiuſcula, ſubpinguis, cremoracea, albicans, vel griſea, indolemque redolens nativam. Ejuſmodi

ſemicocta dein, quam chymum appellant, ex ventriculo in duodenum proxime deſertur (§. XXIII.). Manifeſtum eſt, ea ſemper lege deferri, ut, repetitis contractionum vicibus portionibusque diviſis, inde paulatim omnis expellatur. Continuata tunc oppido, eaque ad neceſſarium uſque gradum aucta, concoctione in chylum vertitur, ſeu fluidum fere homogeneum, blandum, ſubdulce, albidum, & probe dilutum. Ad quod parandum, una cum humoribus affluentibus, perennis pancreaticus inſtar omnium confert. Conſtatque primo conferre commiſcendo ſe pro renata, ubi in duodenum dimanat, cum bile vera, vel cyſtica. Hæc, ut notiſſimum, unum omnium corporis humani acerrimum, amariſſimum, flaveſcentem & plus minus viſcidum, præbet humorem. Excellitque ſuper alios virtute ſaponacea, qua tenaciora quævis, olea potiſſimum, vel pinguia, expeditiſſime diſſolvendo, aquoſis menſtruis reddit miſcibilia. Proinde quoque, ſi bene generoſa ſit, detergit fortiter repurgatque a colluvie noxia inteſtinorum cavum. Præterea eam obtinet naturam, ut, in alcaleſcentiam vergens mitiorem, acidi generationem vel impediat, vel natum potenter infringat. Denique acritate ſua tantum poteſt, ut irritans inteſtina humorum af-

affluentium proventum motumque periſtalticum admirabiliter augeat. Memorabiliores hi laudandi effectus ſunt, quos genuina bilis, in ſe conſiderata, præſtat. Verum tamen nullum eorum œconomiæ naturali præſtaret convienter, niſi probe diluta eſſet ac temperata. Quodſi enim ſincera in tubum deflueret inteſtinalem, ob ſpiſſitudinem ſuam æque minus, ac ſapo non ſolutus, ad diſſolvendum valeret. Adde, quod acriori juſto, quem ederet, ſtimulo organum ſenſiliſſimum pungeret nimis, motum periſtalticum cieret vehementer, præterque modum acueret famem. Quot & quantæne inde in vita turbæ metuendæ? Quocirca ad bilem quantocius diluendam, una in duodenum via confluunt hepatis & pancreatis liquor. Qui, ſimiles fere ſibi & ſalivæ (§. XXVI.), aquoſa tenuitate lenitateque ſua plurimum pollent. Tantoque agunt in bilem efficacius, quod, fervente maxime digeſtione, copia redundent. Qua cremori chyloſo ventriculi remiſta, ſpiſſioris ſolutionem, dilutionem craſſioris, acrioris mitigationem, particularumque omnium miſcelam æquabilem, verbo, chyli coctionem ſimul perficiunt. Cujus non minima pars cum ſucco pancreatico ſit tribuenda; liquet, nullum eo preſtantiorem ex ſanguine humano laticem generari.

CO-

COROLLARIA.

I.

Nulla ſunt alimenta homini tam grata & ſalutaria, quam quorum uſum fames præcedat.

II.

Ventriculus chylopoieſeos partem, quam ſuſtinet, tardius, ac inteſtina tenuia, peragit.

III.

Minor ciborum pars in chylum, & minima in ſanguinem, plerumque abit.

IV.

Potulenta ſpirituoſa aquoſis minus ſunt ſalubria.

V.

Non probabile videtur, mercurium tam vehementer afficere pancreas, quam glandulas ſic dictas ſalivales.

VI.

Febrium intermittentium focus prope pancreas quandoque exiſtere poteſt.

TER GELEGENHEID DAT DE HEER CAREL VAN ALSEM VAN LINGEN,

Tot Doctor in de Geneescunde verklaard wierd den 18. *April* 1766.

Zoo ooit een Weetenſchap naar waarde dient gepreezen,
  Of voor veele anderen in Nut den voorrang heeft,
  Waar in men als om ſtryd voor 's Menſchen welvaart ſtreeft,
En buiten welker Hulp geen Sterv'ling ſchier kan weezen;

Zoo is 't de Kundigheid om Kranken te geneezen
  Door midd'len, die het Heil der Artzeny ons geeft,
  Waar door, naaſt Godes Hand, het Ligchaam als herleeft,
En nieuwe Kragten krygt, uit Doods-gevaar verreezen.

  Dit is de Weetenſchap, die uwen Geeſt vercierd,
  En, door Ervaarenheid en Iever voorts beſtierd,
U op den weg van Roem, *Myn Vriend*, zal kunnen leiden;

  Want op dien voet word gy door uwen raad en daad
  Met 's Hemels Hulp geſterkt, der zieken Toeverlaat,
Terwyl de Deugd uw' Naam zal meer en meer verbreiden.

Alter-ego *ut verè non eſt fucatus Amicus,*
Sic abſens, præſens ſis, precor,

Alter-ego.

F